



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homo Christianus In Sua Lege Institutus. Sive Discursus Morales

Quibus Totum Hominis Christiani Officium Explicatur; Quídq̄ue is fugere,
quid agere debeat, quàm exactissimè traditur

Segneri, Paolo

Augustæ Vindelicorum, Anno M.DCCXII.

VD18 90637038

Discursus IV. De Spe. Ostenditur quàm pulchra sit inter Christi sequaces
vera Spes Justorum & quàm turpis falsa Impiorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51633)

) o (

DISCURSUS IV.

De Spe.



Non alio Signo rectius discernitur Balsamum genuinum ab adulterato, quam si observetur, an maculam relinquat loco, quo illicitum est, an non? si enim nullam relinquat, sincerum est; ac si aliquam, adulteratum. Spes, omnis calamitatis Balsamum est: quo igitur signo ac indicio nos rectius spem veram a falsa discernemus, quam si exploremus diligenter, quænam humanum animum labe aliqua aspergat, quæ a labe purum præster? Accedant igitur huc omnes Peccatorum Spes: mihi enim fixum, ratumque est, ad eas publicam infamiam notandas, detrahere mendacem larvam, quæ vultu & suam impietatem obtegunt; id quod fiet, si veræ ac sinceræ Justorum Spei conferantur. Propositum, inquam, mihi est, Dilectissimi, utilissima comparatione spectandam vobis obijcere parte unam Spem Christianam Justorum, labis omnis expertem, parte autem alteram fallacem Spem Peccatorum, planè deformem ac sordidam. Vestrum erit discrimine utriusque, perspecto, scire quam deceat amplecti, & a qua sibi cavere.

I.

Epist. 10. II. *Spes*, opinione Senecæ, est nomen boni incerti. Sed huic Philosopho sermo fuit de illa Spe, quam solam suis in tenebris dignoscere potuit. Hæc nititur sabulo facile mobili boni alicujus caduci & humani: mirum proinde

non est, si nutet ac vacillet. Non hoc ex genere est Justorum Spes. hæc siquidem tam est certa, ut sola expectatione Boni promissi reddere nos felices possit: *Gloriamur in Spe gloria filiorum Dei.* Ad hoc igitur animum advertite, quod originaria culpa, sicut homini eripuit oculos, cumque excæcavit, ita & abstulerit vires, infirmum relinquendo ac debilem. Eâ causâ sicut Deus, ut tenebras nostras dispellat, in animo nostro Fidei lumen, de quo Dissertatione proxima actum est, accendit; sicut virum juvet & sanet imbecillitatem, voluntatem Spe implet; de qua præsentis hac in Dissertatione agendum. Virtus hæc, stabilis quædam ac permanens facultas est, quæ voluntatem erigit ad desiderandum Deum, cumque tanquam summum suum & unicum Bonum expectandum: idque mediâ Gratiâ permanentis, quæ aptam efficiat voluntatem; & mediâ Gratiâ transeunte, quæ vires conferat; mediis denique operibus atque actionibus bonis, quibus illudmet consequi promereatur: Spes proinde nostra, cum hæc ita se habeant, gemina basi nititur; auxilio nimirum Divino, & nostræ voluntatis cum eodem auxilio operatione. Quâ igitur parte Deo nititur, quid illâ firmitus, quid magis inconcussum esse potest, etiam si parte alterâ nutet? Satis sit dicere, quod Propheta illam vocet non jam Spem, sed, ut ita lo-

Rom. 6. 21

lo-

loquamur, Super Spem: *In verbum tuum supersperavi*: perinde ac si illa esset anticipata Boni desiderati possessio. Sed non oportet de materia tam suavi & jucunda obiter tantum & paucis agere. Parte autem alterâ quomodo tantillo temporis spatio pro dignitate, cum tam late pateat, de illa disputare possumus?

III. Omnes Perfectiones atque Attributiones, quibus immensa illa Abyssus Divinæ Bonitatis nostrâ concipiendi ratione constituitur, gravissimam nobis vim faciunt, ut in DEO speremus, non unius alicujus generis, quocumque nobis opus fuerit, Naturæ, Gratiæ, & Gloriæ. Nihilominus ut per hoc nullis clausum limitibus Pelagus, sine spe portum intrandi, non evagemur, ex dictis Dei Attributis, quæ ad Spem de DEO concipiendam movere possunt, non nisi tria cum S. Thoma scrutabimur, Magni inquam Dei nostri Providentiam, Misericordiam, Potentiam? *in Pf. 30.* Providentiam Dei, ut nostri opificis & Conditoris; Misericordiam, Servatoris, & Potentiam, Domini, qui supra se alium habeat neminem. Conjiciamus primò obtutum in Providentiam Conditoris. *4. 46. 4.* Ego, inquit Prophetæ ore, feci, & ego feram. Ego vos condidi, quando eratis nihil: facile proinde inducere in animum potestis, me in cunctis vestris indigentis sublevandis non defatigandum, postquam esse cepistis. *Greg. 1. 24. Moral. c. 17.* Qui necdum facta curavit, ut essent, que facta sunt, non deserit. Et verò quis unquam opifex tam parvi fecit manuum suarum artificum opera, ut postquam ijs perficiendis ingenium

impendit & industriam, casui deinde illa, & fortuitis eventibus relinquit? *S. An. br. 1. 1. sic. 10.* Quis deserit, quod condendum pneavit? Tantòque id magis facturus est, quia non opifex tantum noster, sed & Pater est: an enim, qui ferocissimarum Tigrium cordi sobolis suæ & fœtum amore ingenuit, cor suum Divinum ejusce amoris expertus esse voluerit? Negari non potest, non pauca interim nobis mala ferenda esse. Sed quomodo aliter fieri possit? Natura non producit fœtus monstrosos certo ac destinato consilio; producit eos tamen, materiæ, ex qua formantur, renitentia & ineptitudine ad id compulsâ. De cetero facit illa, quantum intra legum suarum fines potest, ne nascantur abortus isti. & cum jam nati sunt, quantum potest, impedit, ne generatione propagentur; & eâ causâ steriles illos gignit, ut cum facere non possit, ne omnino sint, efficiat saltem, ut soli sint. Pater ratione Opifex noster Deus non vult malum nostrum, non solum Culpæ, quod omnino velle non potest, sed ne pœnæ quidem: *Sap. 1.* Non letatur in perditione vivorum. Nostrâ tantum miseriam cogitur, ut illud velit, vel ut nos corrigan, vel ut puniat, vel ut prober. Per se autem id ipse agit unicè, ut mala nostra diuturna non sint, neve infelici fœcunditate nocentiores post se effectus trahant; unde sicut mater, cum ignis calore filiolum suum fovet, manum inter ipsum & ignem interponit, ne vehementior ignis vis ei noceat: sic DEUS summâ curâ ac providentiâ mala, quæ debet infligere, temperat, & cum illa adverterit nos vehe-

vehementius urere, quamplurimum ab igne nos removeret; quâ comparatione ipsemet Sponsæ carissimæ Gertrudis suam in nostris malis permittendis providentiam explicavit.

IV. Majorem tamen fiduciam debemus reponere in Misericordia DEI Servatoris ac Redemptoris, etsi tantam debeamus ipsi Conditori. *Noli timere, ego redemi te:* sic Animam ille quamlibet per Isaiam alloquitur. Cave unquam mihi diffidas, postquam redemi te toto Sanguinis mei divini thesauro. Et verò si fateri volumus, quod res est, ex quo Verbum nostrâ causâ humanam carnem induit, eò nostra est aucta dignitas, ut si ipse, S. Gregori Nazianzeni phrasi, est oculus Patris, nose ejus oculi pupilla facti sumus. Illud saltem certum, sic nos ab eo compellari, nostri, ut talis, curam haberi, ut talem nos ab aliis quoque agnosci & observari velle:

Zach. 2. qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. Unde non est mirum, si tantum ille præfert sensum Injuriarum, quibus lacessimur; sic ut eas non semel atrocius vindicet, quam illas, quibus ipse est læsus; propterea nimirum, quòd sint vulnera pupillæ, quæ etiam nostratibus in Tribunalibus, quæ tamen minus accuratè rerum gravitatem discernunt, atrocissima censentur, juxta illud: *Locus vulneris atrocem facit injuriam, veluti si quis in oculo percussus fuerit.*

V. Id tandem, quod firmitatem Spei nostræ perficit & absolvit, est, quòd Deus non tantum ut noster Conditor Providentiam habeat, quâ sciat:

R. P. Segneri Christ. Instr. Tom. I.

nostræ egestati succurrere, ut Servator verò nostri miseratione moveatur, & opem ferre velit; sed quòd eam etiam, tanquam Dominus universorum, cujus nutui cuncta parent, ferre non possit minus, quam velit. Si quid uspiam est, quòd potestatem ejus excedat, & quòd ipse effectum, etsi velit, facere non possit, permittam omnino libens, ait Mellissius, ut pleno jure & arbitrio Spè in alio, quam in Deo reponatis, & ut solum quærat firmiter ac stabiliter, cujuscumque Spei vestræ anchoræ adhærescant. *Si quid illi impossibile, si quid vel difficile sit, quære alium, in quo speres.* At si nihil tale uspiam est, cur non in eum omnem nostram fiduciam projicimus? cur inter ejus Providentiæ brachia securi non acquiescimus? Hæc sanè causa aptissimè dici voluit *Deus Spei;* quantum enim & scit, & potest, tantum nostrâ causâ & nobis juvandis vult impendere.

VI. Diligenter igitur animo perpendite, AA. Amantissimi, quam firma & inconcussa sit Spes Christianorum, cum Deo ipso innitatur. *Speret in nomine Domini. & innitatur super Deum suum.* Negari quidem non potest, quin Deus velit, ut etiam de nostro aliquid conferamus, & cum ipso operante operemur; & quamvis Medicus iste cælestis paratus sit afferre malis nostris medicinam, non vult tamen sanare invitos ac renitentes. S. Augustini verba sunt *Sanat omnem languidum, sed non sanat invitum: opus est, ut sanari velit.* Cum autem nostra voluntas tam sit in bene cæptis instabilis ac varia, hinc est, quòd non omni

Firmi

DISCURSUS QUARTUS.

42
 firmitate, quâ Fides, hæc & Spes nostra
 gaudeat; cum illa tota quanta est, uni-
 cè solâ loquentis DEI auctoritate se
 faleiat. Hinc est, quodd Spei nostræ
 mira quadam ratione Timor conjungi
 possit, cumque ea efficere harmoniam
 & melos suavissimum, in quo sub-
 lime & profundum, seu, Musicorum I-
 diomate, Altum & Bassum, mirè con-
 cinant, dum ipsa nostra imbecillitas ad
 id confert, ut evadamus robustiores.
 In bellis, quæ hominibus homines
 committunt, nihil tantum animi mi-
 litibus addit, quàm si maxima quæ-
 que de suis viribus ac robore sentiant.
 Dispar est ratio pugnarum, quas Ani-
 ma cum hostibus tam aspectabilibus,
 quàm non aspectabilibus pugnat. In
 his, ut ipsa superior evadat, oportet ti-
 mere quàm maximè de suis viribus; imò
 his penitus diffidere, sic ut in velle suo
 ac posse Spei reponat nihil, totum verò
 in uno Deo & ejus ope reponat. Talis
 cum fuerit, nubi simillima redditur, hæc
 fecundæ magis, quò minus lucidæ ac
 transparenti; atque ita aptissima ut di-
 vini Solis radiis mutata in prodigiosam
 Magnanimitatis Iridem nil nisi trium-
 phos prælagiat. *Ad quem respiciam,
 nisi ad pauperulum. & contritum spi-
 ritum, & trementem sermones meos?*
 Ubi dein animam tam benignis
 ac beneficis oculis DEUS digna-
 rus fuerit, quis explicet, quàm multos
 illa spiritus animosque concipiat?
 s. Tho. 2. Tum enim verò Spes ad fiduciam us-
 que proficit, fitque id, cum se homo
 in Deo contempletur, sic ut jam non
 solo in Deo confidat, sed etiam in se; sed
 in se illis valido viribus, quas accepit

II, 66.

s. Tho. 2.
2. q. 228.
ar. 1. ad 2.

à Deo. *Omnia possum in eo, qui me
 confortat.* Ut aliquid de Anima sic ^{Phil.}
 constituta pronuntiem, dicam solùm, ^{13.}
 illam mutare fortitudinem. *Qui spe-
 rant in Domino, mutabunt fortitudi-
 nem.* Positâ enim fortitudine, quæ
 humanæ sit indolis, induit fortitudi-
 nem indolis quasi divinæ; idque ad
 duos præcipuè maximi momenti effe-
 ctus, ad impetrandum nimirum,
 quidquid petit, & ad ferendum ut leve,
 quidquid ipsi incumbit,

VII. Primo igitur loco genuina,
 Deo nixa Spes vi prædita est admira-
 bili ad omne genus Bonorum impe-
 trandum: *Omnis locus, quem calcá-
 verit pes vester, vester erit.* Sic Populo ^{Exu.}
 suo Israëlitico Deus promisit. Quis au-
 tem iste est? quærit S. Bernardus.
 Pes iste, Spes nostra est, quæ quocun-
 que se, & quamcunque ad rem porte-
 xerit, suam illam efficiet, sic ut spera-
 re tantum, sit gratiam speratam prome-
 reri. *Erit tibi Anima tua in salutem,* ^{1er.}
quia in me habuisti fiduciam. ^{18.}

VIII. Verùm quia sæpe decet, &
 expedit non audiri nostras preces;
 imò res ipsa postulat, ut variis sæpe
 adversis, variis ærumnis nostri experi-
 mentum Dens capiat; id quoque pro-
 prium habet Spes Deo fulta, ut omne
 amatum dulce reddat, & in nectar
 cælicum mutet. Unde Philo sapienter
 Spem nominavit *Gaudium ante gan-* ^{Phil.}
dium? Et Justi sæpe ob solam suam ^{20.}
 Spem Beati in SS. Literis appellantur,
Qui sperat in Domino, beatus est. Pro-
 pterea, quòd liquidiore lætitiæ sensu
 perfundantur in hac vita ex iis, quæ
 sperant in altera, quàm perfundan-
 tur

tur Peccatores ex ijs, quæ re ipsa jam sunt consecuti; haud aliter ac hæres Regius magis delectatur Regno, cujus possessionem nondum adiit, quam milesellus Rusticus tugurio, in quo jam nunc habitat. Sic dicebat Apostolus: Superabundo gaudio in omni tribulatione mea. S. Franciscus autem totas noctes oberabat, illud cantillans.

Et tanto il Ben cheme aspetto;

Ch' ogni penam' è diletto. i. e.

Quia tanta sunt Bona, quæ me expectant,

Me mala hæc, dolor, & cruces oblectant.

Quis igitur ferat eorum è Christianis diffidentiam, qui ut magnitudinem calamitatis, quâ premuntur, & conditionis, in qua versantur, ærumnas explicent, dicere consueverunt: *Præter Deum, qui promisset, in Mundo habeo neminem.* Itane infirmum vobis viderur, quo res vestræ nitantur, fulcrum, cum fulciantur ipso Deo, ejus Providentiâ, Miseratione, Potentiâ, & promissis? Quid igitur hæc sibi verba volunt, nisi, Deum à vobis haud quam haberi pro eo, qui est, sed pro Deo impotente, pro Deo decoctore, & ut sic dicam, subhastato? *Otiosum, inexpertum & ut ita dicam, neminem,* ut cum Tertulliano loquamur. Urbes illæ, quæ lapideis pontibus junxerunt flumina, etsi videant fluvios præter moræ exundantes, maximo in illos vi ac impetu ferri, non timent tamen, ne pons aquarum molli cedat; metuunt autem urbes aliæ, quarum pontes ligneis tantum tibicinibus fulciuntur? atque Idcirco, cum ingens aquarum vis in

illos recto alveo defertur, vix est è civium numero tam audax, qui alteram per eos ad ripam tendat. Si pro vobis stat Deus, quæ timendi causa? Neminem uspiam erit invenire, quem sua in Deum spes fefellerit. *Nullus spera- Eccli. 2. vit in Deo, & confusus est.*

II.

II.

IX. Ut igitur ad id, quod propositum est, revertamur, quid vobis, Dilectissimi de Spe Christiana videtur? An non illam existimatis Balsamum nobilissimum, non solum ob salutem, quam in malis affert omnibus, sed eo etiam nomine, quod labis post se in animo nostro relinquat nihil? Quin imò indies eum efficiat puriorem, dum arctius Deo devinct, qui pro incredibili sua Bonitate honori sibi ducit, cum advertit nos ad eum constanter, tanquam ad supremum nostrum Bonum, anhelare, & ab ejus unius manibus expectare, quidquid infra ipsum bonorum est. Comparate nunc vero & sincero huic Balsamo adulteratum Balsamum Spei Impiorum; tam istam sordibus plenam invenieris, ut in Dei oculis aliud non sit, quam mera abominatio. *Spes illorum abominatio anima. Præ Job. 11) ceteris tamen scædæ in ea sunt duæ maculæ. 20. 21.* Prima est, sperare nimium in iis, quæ ad animam spectant; altera, sperare nimis parum in iis, quæ ad corpus spectant.

X. Primò igitur abominabilis est Spes impiorum, quia nimis multum sperat in iis, quæ ad Animam spectant, sic ut in Præsentiam & Præsumptionem

DISCURSUS QUARTUS.

degeneret. Sperant temerarij isti, Deum donaturum ipsis Salutem æternam beneficentiâ tam gratuitâ, ut nullo modo habitura sit rationem mercedis; quam tamen dare ille non vult nisi ut jure debitam; sic, ut nihil operando boni, imò plurimum operando mali, confidunt tamen eò se perventuros, quò Beati Cælites tot laboribus, conatibus, curis, tanto sui afflicti studio pervenerunt. Gignitur pessima hæc præsumptio partim, ex æstimatione sui immodica, partim ex ignorantia. Juvenes, si S. Thomæ credimus, ad Spem proni sunt, quia & animi vigore abundant, & experientiâ destituuntur. Simile quid de Peccatoribus affirmare licet: hi enim in primis magnâ sui æstimatione tument, & quia sibi quisque persuadet, se esse aliquem magnum, in animum inducit, Deum non posse non magnam ipsius habere rationem, ad eò ut ne beato illius consortio in cælo carere debeat, & gloriæ suæ incrementa, & Sanctissimarum legum suarum observantiam pensi habere non debeat. O præsumptio nequissima, unde creata es! Auditores Amanatissimi, si Deus nòs æterno rogo addixerit, tam nullam inde patierur jacturam, ut potius ex ipso nostro exitio sempiterno Beati illum Cælites per omne deinceps ævum sint glorificaturi. *Salus & Gloria, & Virtus DEO nostro, quia vera & justa iudicia sunt ejus, qui judicavit de meretrice magna.* Præterea Peccatoribus, haud aliter ac Juvenibus parùm expertis, deest notitia rerum spectantium ad DEUM; unde stultissimè sperant consequi

finem, etsi illi consequendo medijs non utantur: quin id agunt, ut recto ad Infernum itinere profecti, non dubitent tamen se beatam patriam intraturos; haud aliter ac si tum, cùm in extremâ, quâ rectâ deorsum in stygem ruitur, crepidine steterint, capto repente imperu, evolaturi sint ad cælum, forte non dissimili felicissimæ illius tusciniæ, quæ subito volatu fauces Draconis jamjam deglutientis elusit.

XI. Nullo igitur non tempore miris laudibus Dei miserationes excolunt; nec tamen intelligunt miseri, quid dicant. Si Naufragus quispiam procul à litore ita secum ratiocinaretur. Vastum est mare: Abyssus est, cujus fundum attingere non possum: tam latè se porrigit, ut litus nulla ex parte prospiciam: non est proinde, cure ego natando, & brachiorum scilicet operâ, evadere laborem: etiam otiosum & inertem me maris unde portabunt, sicut vastissimas onerarias naves sustinent; atque ita in portum me deducunt. Qui sic argumentaretur: an non suam mox ipse stultitiam lueret, maris undis absque remedij spe absorptus? Nec tamen aliter Peccatores disputant: & eâ causâ delira illorum insania spei tam malè fundatæ causa est. Miserationes Dei multæ, & magnæ sunt, imò Maximæ, quis nescit? Abyssus sunt, ad cujus fundum non modò hætenus pertigerit nemo, sed ne pertingere quidem possit, cùm omni careat: Mare est nullo circum scriptum litore, immensum, quaquaversum porrectum; verissima sunt hæc omnia: sed quid hinc consequens est?

1. 2. q. 10.
a. 6.

Aff. 3. 9.

Eccli. 37
3.

Apo. 19.
3.

S. Thom.
2. 2. q. 4.
ar. 1.

est? si manuum pedumque nisu non contenderitis, ut enatetis; si Deo excitanti vocanti que non responderitis, adjuvanti ejus Gratia operam vestram conjungendo, actum est de vobis, mergemini sine ulla evadendi spe; adjuvare vult Deus, sicut Mage natantes adjuvat, solus agere omnia non vult: *Dei quippe est adjuvare.* Vult nos experiri benignitatis suae effecta, non arbitrio vestro & caeca voluntate, sed juxta Sapientiae suae decreta; Solis instar, qui caesi & pellere tenebras, & vigorem vitamque largiri unice optet, non tamen idcirco radios suos reatissimos unquam vobis solis collustrandis vult obliquare, aut latum unguem ab Eclipsium lineam & semitam aeternissimam exerrare. Vos amoris proprii fascino excaecati, magis semper in animum inducitis, quod Deus, etsi peccandi finem faciatis nullum, non parum tamen difficultatis in eo expecturus sit, si aeternis vos addicere rogis veller: cum tamen ne illam quidem experiatur, quam chirurgus, dum gangranam, contra omnia ad eam diem suaviora remedia contumacem igni persanare studet. Si Sacer Orator vociferatur: Vitam emendate. O Peccatores, si aeternum perire non vultis; vos tacite vobiscum mullitatis: pro hominem exoticum! Itane exoticum? an exoticum est dicere, cadaver non diu post tumulo esse inferendum? peccatum mors est, Infernus sepulchrum Animarum, peccati assuetudine cadaveri simili, & idcirco haud paulo admirabilius est, aliquem mox atque noxam gravem contraxerit, non statim in orcum

praeipitem agi, quam cadaver, quod factore suo terras auramque inficit, non confestim ad tumulum abripi.

XII. Perpendite igitur, verene caeci in Spe sua sint Impij? Pollicentur sibi tempus, pollicentur sibi Gratiam, pollicentur arbitrij sui cum Gratia operationem; tribus his vitreis basis salutis suae machinam in aedificando, quae tamen nemini non magnae omnino mollis est opus. Primo enim perquam facile accidere potest, ut tempus respiscendi alias non suppetat, cum Peccator eo abusus tempore, quod benignè concessum fuerat, dignus non sit, ut aliud accipiat: sicut artifex, qui instrumentis suis ad monetam adulterandam abusus, legum decreto ipsi privandus est: *Juravit per vitam, Apoc. 17. tem in secula seculorum, quia tempus non erit amplius.* Et en primam basin solo aequatam. Etsi autem tempus nos deesset, facile est, ut cum tempore non adsit gratia, itaque eis contingat, quod Arci, quae cum diutius, quam belli leges ferant, obsidentium vim elusit, militum subinde avaritiae & furori permittitur. *Non relinquent in te lapidem, eò quod non cognoveris tempus visitationis tuae.* Sic nec altera jam basis subsistit. *Luc. 19. Quin etsi Gratia non negetur, 44.* pronum est eos excitanti non respondere, nec operam suam jungere, illam vi praepeditos, quam animo inferunt assuetudines pravae, & animus erga ipsam gratiam ingrattissimus toties opere comprobatus: neque enim novum est, campos steriles rosis decidui beneficio tam non emollescere, ut etiam indurescant magis, perinde ac si con-

27^o *sd.*
16
tendere cum cælo vellent, plúne istud possit ad expugnandam, an vero illi ad retinendam obstinatam duritiem. *Induraverunt cervices suas, quasi per contentionem.* Cunctis his discriminibus exposita est Impiorum Spes; ipsa interim tam est cæca, ut ne unum quidem videat. Repero igitur, *O presumptio nequissima, unde creata es!* O Monstruosa præfidentia, quam tu ex palude emersa mortalium te cõsortio miscuisti? *cujus maleficio aspexisti lucem? quis excepit? quis aluit?* En partús tam monstrofi causas: Cordis superbia mater ejus fuit; nutrix Ignorantia,

XIII. Hoc mirum profectò non est, Peccatores, ubi de Anima agitur, sine ullo metu agere. Et tamen vel unum hoc satis foret ad Spem illorum damnandam in oculis Dei, tanquam abominabilem, *Spes illorum abominatio Anima.* Sed quia res ista momenti est longè maximi, non ita cursim prætereunda est. Tres igitur Timores distinguere oportet. Primus eorum est, qui præter culpam timent nihil: hic autem Timor filialis dicitur: & est Timor ille, qui Sanctissimorum quorumque animos occupavit, & ne in cælo quidè amittitur. Observant Astronomi, Stellas fixas certo quodam motu agitari, quem ipsi trepidationis indigitavere. Beati igitur Cælites, etsi metu illo non trepident, qui ex periculo amittendi iterum summi Boni nascitur, cum Stellarum instar fixarum ex suo Beatitatis Firmamento dimoveri aut divelli nulla jam ratione possunt; non tamen carent, S. Thomæ sententiã, timore quodam reverentiali erga Supremam

illam Majestatem. *Columna Cali contremiscunt, & pavent ad nutum:* *lob. 21. 11.* Cum Caritas tam non expellat animo istum Timorem, ut potius illum secum intrò ferat. Alter Timor Peccatorum omnino proprius est: & est ille, quo non timetur, nisi sola pœna, vocaturque Timor servilis. Hic autem, si S. Augustino credimus, bonum habentem non probat: *Quid enim est pœnam timere? nam & latro timet malum, & ubi non potest, non facit, & tamen latro est.* Etiam fur, qui Circitorum noctu globum obvium repentè habet, terretur, pedem refert, & rem alienam, quam jamjam prehenderat, excidere sibi patitur. Nec tamen fur esse desinit, quamvis tum non furetur: nec enim furari, sed laqueum timee, qui deprehensum manet. Tertius Timor ex utroque isto mixtus est; quo nimiram & culpa timetur, & pœna, unde *initialis* dicitur est, propterea quòd perfecti timoris principium sit. *Hic S. Th. 2. 2. q. 11. cum nihil desideret vehementius, quàm Deum, finem suum, possidere, metuit tamen, ne tanti boni possessione non beetur, memor divini tam in judicando, quàm puniendo rigoris: Terribilis in consilijs super filios hominum.* Hinc non aliud priùs in schola, in qua divinam Sapientiam Spiritus Sanctus docet, discitur, quàm timere. *Initium Sapientie timor Domini: Animam autem sic timentem tot locis Deus ipse Beatam appellat: Beatus homo, qui semper est pavidus, Bea. 14.*

Ps. 111. *tus vir, qui timet Dominum. Beati omnes, qui timeant Dominum. Beatus, cui donatum est habere timorem Domini.* Utenim, cum Regij corporis custodes adventant, argumento non dubio est, ipsum paulò post Regem adfuturum, sic ubi sanctus hic timor locum in allecujus animo occupat, argumento id est, adesse Spem; nec diu post ipsam quoque Caritatem, regio suo curru invectam, adfuturam. *Aug. tr. 9. in Ep. 10.* *erat timor primò, per quem venit Caritas.*

XIV. Quid igitur attinet, Impios Spes suas inconsultas & ineptas jactare? eo ipso quòd peccatum porrò non metuant, non jam Spes hæc, sed insana temeritas est. *Insolentis est natura, sine timore gaudere:* ut S. Hilarius affirmat. Et verò temeritas ista non tantum pugnat cum Gratia præsentem, sed venturæ etiam obicem ponit. *Qui sine timore est, non poterit justificari.* Qui post peccatum animo fovet Spem, timoris omnis expertem, tam non est Justus, ut ne Justiciam quidem consequi possit, eo res suas loco constituendo, quò summè arduum sit, vitam in melius mutare; *non poterit justificari.* Hæc autem ejus rei ratio est; quisquis assuescit peccatum non timere, illudque nulla religione animo circumferre, vulneris instar, quod una pectoris rursione sub Paschales ferias ita persanetur, ut ne cicatricem quidem post se relinquat: quisquis inquam ad hoc se assuefacit, paulatim ira occalescit, ut sensum doloris de offensa DEI, tanquam malo malorum maximo, omnem amittat: unde nec illo momento, quo hinc migrandum est, aliter timer, quàm Lu-

pus, qui non furtum, sed laqueum tantum ovili prætentum metuit. Si quo autem casu Peccator tam præfidens ope Confessionis rite peractæ noxarum veniam obtineret, certissimum vobis sit, diu in eo gratiæ statu non perseveraturum, nisi timere occipiat. Non alto indicio certius dignoscitur, an Olivæ recens transplantatæ nova in statione radices agant, quàm si ramos illæ demittant, foliorum ornatu abjecto: id enim argumento est, totam vim in radicibus esse occupatam. Novæ istæ Peccatorum, è peccati deserto avulsæ, & inamænissima ac felicissima Gratia viridaria translata plantæ, si nimia foliorum pompâ virescant atque luxurient, spe inquam superbâ magis, quàm solidâ, haudquamquam fidendum iis esset; nec enim diu felici illa in terra adolesceret, sed silvestrem mox suam naturam & indolem denuo induerent. *Signum reviviscendi, si folia amisere, alioquin, quæ Plin. l. 17. c. 24.* *putes prævaluisse, emoriuntur.*

XV. Non tamen oportet Timorem eousque invalescere, ut Spem ipsam opprimat, atque suffocet: Quem enim metus tam atrox teneret, is animam tanquam Inferni depositum circumferret. *Desperare, in Infernum descendere est: ut lib. 2. de S. Iudorus loquitur. Ejusce sortis Peccator dici posset, si in fornacem immissus non dum est, palæ tamen jam esse impositus, & propediè immitendus: neque verò hunc ego expertem Spei timorem inculco audientibus; sed suadeo, ut timeant sperando; ut sic Spes Salutis eos in semitam denuo reducat. Sic tamen, ut disterebam, differendum est; quia vulgo Peccatoribus plus affert detrimenti, quòd nimis mul-*

DISCURSUS QUARTUS.

multum, quàm quòd nimis parum sperent: idémque ipsi in Animæ plagis accidit, quod in plagis corporis; quas etsi intumescere malum est, haud paulo tamen periculosius est, non intumescere. *Nimis intumescere vulnus, Cels. l. 1. periculosum; nihil intumescere, periculosissimum.* Optarem igitur, medium vos callem tenere, ubi de Anima agitur, *in medio semitarum iudicij,* & neque ad desperationem, neque ad temeritatem declinate; sic, ut spei longè plurimum reponatis in Deo, salutemque ab eo consequi non dubitatis, nullo tamen non actionum & operum piorum genere idem salutis negotium promovendo; quæ quidem velut aliqua Spei vestis sunt, quæ ut vitali corporum nostrorum calore incallescunt; ita vicissim ipsa calorem eundem fovet & auget. Bona, quæ agitis, augebunt Spem, & Spes, quam concipitis, novas identidem vires ad rectè agendum subministrabit; & quia sat scio, non ideo vos sic stabilendos in gratia, ut eà porro excidere non possitis, illud observate, quod Sanctus Gregorius sapienter docet; Sperate in Dei miserationibus peccato jam admisso; priùs autem, quàm illud admittatis, Justitiam formidate. Ut enim vinum Antidotum Cicutæ est, si ista jam sumptâ bibatur, venenum autem, si cum ipsa poterit; sic Spes Miserationum medebitur culpæ jam admittæ, ne quis ruat in exitium; exiti autem causa erit, si ipsam comitetur culpam, persuadendo sibi, nullâ illam pœnâ vindicandam.

XVI. Atque hæc prima labes est,

quæ Animam inficit Spes cæca, malè consultâ, superba Peccatorum, quando eò inducit, ut tam perversè speretur in negotijs Anima. Pergamus modò ad alteram labem considerandam, quæ inficit Animam, cum facit, ut non satis confidatur Deo, in iis, quæ ad Corpus pertinent. Haud pauci Christianorum è numero videntur cum Assyriis illis existimare, DEUM nostrum, Montium duntaxat, non autem Deum vallium esse. *Dixerunt Syri: 4. Reg. Deus montium est Dominus; & non est Deus vallium.* Videntur & ipsi, Deum tantùm agnoscere Dominum & Dispensatorem bonorum Gratiæ, quæ sunt illa sublimia; non autem bonorum Naturæ quæ sunt humilia: unde hæc nec ejus à manibus obtinere curant, nec cum fiducia consequi expectant. Sed non ita res se habet: *Tuum Domine Regnum, tuæ divitiæ, tuæ gloria, tuæ sunt omnia.* Ex quo Deus condidit universa, ne unius quidem alicujus dominio se vel dieculæ spatio exiit: cuncta planè ipsi subjecta sunt. Illud negari non potest; nunc illum in Gratiæ, quam vivimus, lege, diserte promittere bona alterius vitæ mansura, nec brevium istorum accidentium meminisse, nisi tanquam auctarii; sicut è diverso in Lege veteri humana tantùm ista, & temporis bona diserte promittebantur; nullâ æternorum factâ mentione. Sed nihil refert: omnia tamen ejus manibus dispensantur, nec quidquam alio largiente accipimus; id, quod probè noverat sancta illa Anima, illud suaviter ingeminans: *Lava ejus sub capite meo, & dextera illius ample-*

In P.
144

Pf. 6.

1. Pm
29. 11

Abul.
Dicit.
fol. 56

In Ps.
144.

plexabitur me. Sic enim, S. Augustino teste, Deus nos dextrâ amplectitur, mercedem bonorum æternorum promittendo, ut simul sinistra nos attollat, ea subministrando, quæ corpori servando sunt necessaria. Et quamquam deserti nonnunquam ab eo videmur & derelicti, dum gravis sub ærumæ onere gemere sinimur, id ipsum tamen singulari quadam arte fit. Qui apes curat, aufert quidem ipsis mel redundans, ne otio torpescant: illud tamen, quo indigent, non tollit, ne mellæ fame emori cogantur. *Non vidi iustum derelictum, sic David artificium id observans, eecinit: nec semen ejus quærens panem.*

Ps. 6. 27.

XVII. Hac jam parte, parum abest, quin dicam, multos Christianos non plus in DEO suo Spei ac fidei reponere, quam reponant Idololatæ; tam, cum rerum istarum premuntur penuriâ, ratò ad eum confugiunt, tam parùm sperant. Spes suas terræ committunt, à qua expectant messem; committunt mari, à quo expectant merces; committunt mercaturæ socijs, à quibus lucri partem repetunt; DEO autem non committunt, illud causati, quòd is non velit causâ ipsorum mira operati. Quæ mira? quæ, quæso, mira ac prodigia? Prodigia speraret, qui parte sua iis nolleret uti medijs, quæ suavis DEI imperat Providentiæ, ut vitam servet, sed totam curam uni DEO relinqueret. Sed qui nihil à se desiderari passus est eorum, quæ officij ratio ab eo postulabat, non potest dici expectare prodigia. Prodigium insolens non est,

R. P. Segneri Christ. Instr. Tom. I,

tunc Deum opportunè succurrere, sed hoc ex iis est, quæ lege ordinariâ fiunt, confirmatâ certissimis Sacrarum Literarum pollicitationibus, & multiplici omnium seculorum experientiâ comprobata. Alter: usne, quàm Christi, illa verba sunt? *Nolite solliciti esse dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.* Sed quid h. ille verbis prohibere voluit? an illam curam & sollicitudinem, quæ abesse non potest in studio curandi necessaria ad victum vestitumque? minimè id quidem, si rectè S. Thomas docuit: prohibuit sollicitudinem de successu. Si enim Pater ille cælestis ne Lilia quidem, quæ nihil operæ impendunt, ut suis in pratis vestiantur, & nutriantur, amabilissimæ suæ Providentiæ effectis carere patitur, quanto minùs illam deesse patietur iis, qui tamen de suo conferunt modicum illud, quod in eorum est potestate, nec inerti otio torpent? Hæc causâ non dixit Christus: *Nolite laborare*: dixit *Nolite solliciti esse, & de quo? de eventu laboris*: neque enim deus partibus suis unquam deest, si nos nostris non desumus. An autem mali originem perspectam habetis? ea est, quòd nos prospectum nobis cuperemus non mensurâ veræ necessitatis & indigentia, sed mensurâ, respondente aviditati nostræ & cupiditati nunquam explebili: hinc nihil est, quod sufficiat Frigus illud, quod aliunde & solitis à causis ingruit, non multis vestibus facillè arcemus: at frigori febrili pellendo ne totus quidem vestiarum locupletissimi apparatus sufficiet.

Math. 6.
31.

G

XVIII.

XVIII. De illis postea quid dicemus, qui in iis, quæ vitæ & corpori tuendo necessaria sunt, tam non fidunt Deo, ut in ipso potius peccato spes suas reponant? Palmaris hic error mundo corvusest. Mendacissima illa pollicitatio, quâ malè cautis primis Progenitoribus nostris malus Dæmon imposuit, quòd futuri essent sicut Dij, re ipsa aliud addicebat nihil, quàm quòd suis ipsi viribus beati reddi possent, quin Deus aliquid ad rem conferret, & quin eorum, quæ ipse iusserat, vel veruerat, ulla ratio haberetur. Atque hoc, quod mendaci illo promisso delusus Adamus tum sibi tribuit, hodie quoque major Peccatorum, ab eo prognatorum, pars sibi vindicare studet. Arrogant isti sibi, quòd pinguiorem ad fortunam e-vehi, & meliore omnia loco reponere possint non solum sine Deo, sed etiam Deo invito ac repugnante. Hac execrabili è face plus quàm certò illi Mercatores sunt, qui mendaciis, dolis, & iteratis non semel perjurijs lucra sua rectissimè se promovere arbitrantur. Ex hac sunt Litigantes illi, qui alios ad pejerandum suâ causâ inducunt. Ex hoc Notarij illi, qui muneribus corrupti syngraphas aut celant, aut perfidè immutant. Ex hoc Sicarij, qui modici argenti gratiâ cædes nefandas perpetrant. Ex hac illi Proxenetæ, quos avaritia ad promovendos contractus omni jure veritos impellit. Ex hac illi tam sordidi heri, qui diebus etiam feriatis & divino cultui dicatis labores domesticis servis imperant, ne panem non lucrentur. Ex hac stulti illi Parentes, qui ut familiam pingui aliquo

Ecclesiæ Beneficio locupletent, filios suos indignos, aut ineptos, Clerici habitu induunt, qui in saço rectius militarent. Ex hac Matres illæ, quæ ut filias maritos inveniant, manifestis eas periculis exponant, in pudicitia prædones incidendi, dum ejus custodes quærunt. Ex hoc Puellæ illæ, quæ etsi non ignorent, quàm non probentur Deo familiaritates, quas contraxerunt, eas tamen excusant ut necessarias, propterea quòd, si amantes inhumana fastidiant, pudicæ quidem, sed sine consorte victuræ sint. Omnes isti, & plurimi alij, quos enumerare longum foret, Spem suam in peccato ponunt, nec advertunt miseri, quòd eo ipso, quòd in peccato eam reponant, reponant hæc ipso in mendacio. *Posuimus menaaciura spem nostram.* Et prò, quo in mendacio! mendaciũ hoc est, quod non in errore tantum inducat, sed plurimum etiam afferat detrimenti, unde est mendaciũ longè perniciosissimum. Luna nostris oculis nunquam se fulgentiorem offert, quàm cum Soli è diametro opponitur. Peccatores, ut Lunam in stultitia perpetuæ suæ instabilitatis imitantur, sic eam quoque referre sibi debere videntur in ratione lucrorum suorum procurandorum, sic ut nunquã comoda sua promoveant utilius, quàm quando à Deo recedunt longius, & quando ab hoc divino Sole, eam contemptim negligendo, absunt remotius. Sed ô quàm hitales sibi ipsis imponunt! experiuntur subinde, quod Propheta indicavit: *Expectavimus lucem. & ecce tenebra.* Pro stultè sperato

lucis

lucis incremento, domus eorum manent plenæ tenebris, ærumnis, & perturbationibus. Negotia non procedunt; lucra invertuntur; causis caditur, fraudes retententur, filia maritum non invenit; verbo, sic contra spem geruntur & cedunt omnia, ut aureum impiæ, quam somniaverant, felicitatis caput in pedes denique luteos desinat. Aut non obtinentur lucra, quibus inhiabatur perfidè; aut si obtinentur, mox alio migrant ex familia. *Tabernaculum impiorum non subsistet.* Natam subinde prolem mole carnea sine ossibus, non nescio; nullam tamen scio, quæ sine ossibus diu, postquam nata erat, supervixerit. Sic etiam in cunis suffocatur eorum saltus, qui DEI leges pessundare conantur. Fœtus sunt sine ossibus, non tam parvus, quam abortus. *Elevati sunt admodicum, & non subsistent.*

Iob. 24.
9.Iob. 24.
24.

Ps. 6, 11.

XIX. Sed ista veritas tanti momenti est, ut operæ pretium sit de ea agere Dissertatione integra, illique unidicata; quam jam nunc deliberatum habeo suo tempore instituere, cum palam omnibus faciam; Peccato tam neminem unquam felicem reddi, ut etiam hujus vitæ calamitatibus subjiciatur ac miseris. Interea quid vobis dicam? ut scilicet in rem intenti memineritis, quod spem in peccato reponere earum injuriarum è numero sit, quâ vix graviore læcessi Deus possit. *Nolite sperare in iniquitate.* Et tamen, quod fidem superat; non desunt, qui eò usque eam reponant, ut non dubitent mutuis se pactis obligare cum Peccatore, ut primo, sic om-

nium deterrimo. Sed hi scilicet è Christi cultoribus non erunt. Sunt enim verò hoc ipso è numero. Saltem Catholico nomine non censentur. Censentur & isto. Ita tamen, fateor, Christiani sunt ac Catholici, ut hæc tam honorifica nomenclatura ad id unum ipsis deserviat, ut vel Ethnicis deteriores haberi mereantur. Sunt autem hujus furfuris, qui vel ut ludo vincant, vel ut quem optant Sponsam, Sponsamve fortiantur, ut arcanum aliquod reserant, ut cunctorum suorum hostium tela eludant, quocumque in congressu & pugna, aut alium in finem sibi lucrosam, non verentur stygiis illis artibus uti, quas Superstitio-nes dicimus. Schediasmata peregrinis characteribus exarata, precandi formulæ mendacissimis promissis refertæ, ceræ tribus consuetis sacratæ, cruces, chrismata, Sanctorum Lipsana, res aliæ sacræ profanis permixtæ, cuncta hæc ab illis re ipsa confertim usurpantur. Verum quidem est, quòd dum verbis profanis, & alijs adjunctis magis etiam ridiculis, adjungunt ritus ac cæremonias quasdam pias, videantur Deum religioso cultu velle venerari. Sed quando unquam irreverentiùs eam habent, quàm quando illum tam religiosè se colere fingunt? Cum enim utantur medijs, quæ vim plañe nullam habent ad producenda opera, quæ ipsi moluntur, qualia sunt, vincere, sui amore accendere, divinare, armis omnibus ac telis impenetrabilem reddi, superest, ut adhibeantur non ut talium operum causæ,

Cum Sanchez
in sum.
l. 2. c. 40.

S. Th. 2.
2. q. 92.
a. 1. q. 9.
97. ar. 4.

sed ut signa, quibus positus ex pacto mali Dæmones virtute sibi propria effecta illa producat; quâ ratione Impij nefarijs his Spiritibus divinum aliquem honorem tribuunt, dum ab illis expectant auxilium, quod præterquam à solo Deo periri & expectari nulla ratione deberet. Nec jam quidquam ad elevandum hoc scelus facit, quod adjunt; his schediasmatis ac formulis pia quædam ac religiosa admixta esse; ut enim omnia hæc in mala ac sacrilega degenerent, satis est, impium quidam iis esse admixtum. Ne viperæ quidem partes omnes veneno turgent; sufficit tamen, quod in faucibus illa gerit venenum ad certam necem inferendam. Pollicitationes illæ, in ludo perpetuò vincendi, animum amatæ puellæ amore mutuo accendendi, authorem furti inveniendi, omne telorum genus sine ullo vulnere certò eludendi, vires omnes naturæ superant; quin & illas, quas à Deo præter naturæ ordinem operante sperare liceat; cum Deus nunquam bonum ullum caducum & breve, sanctè & citra ullam exceptionem adpromiserit: ac proinde, ut antè dicebam, cuncta hæc effecta sperari non possunt, nisi à mali Dæmonis manibus, cui non ratio id potestatis Deus permittit; etsi non nisi eorum malo ac pœnâ, qui suam in illo spem reponunt. Et non sufficit unum hoc ad terrorem miseris his incutiendum, nôsse, quod ipsi cum jurato generis humani totius hoste pace fruantur? Sed quid pacem dixi? quod ipsi mutuis conventionibus, & commercio jungantur; dum

pactis si non disertis explicitisque, tacitis saltem, cum hoste hoc stygio ipsis tam bellè convenit in gravissimis quibusque negotiis, contra præceptum non dispensabile ab Apostolo promulgatum: *Nolo vos socios fieri Dæmoniorum.* 1. Cor. 10. 20. Dubium non est, quin istud sufficiat ad eos juratos Dei hostes constituendos. *Inimicus meus, qui versatur cum inimicis meis:* Ita Leges supponunt. Sed jurato quodam eventu narrando vobis ob oculos ponere, quid demum sperare jure possint, qui opem à malo Dæmone efflagitant.

XX. Non multis abhinc annis degebar Romæ Juvenis eorum è numero, quibus Anima pro sale quodammodo est, ne antequam tumulo inferantur, marcescant; ceterà inutilis ac neglecta. Decoxerat hic jam rotum, & opimum quidem patrimonium; unde cum jam nulla esset illius metalli copia, quo effluens suas libidines ad eam diem aluerat, statuerat illud non in terræ tantum visceribus, sed intimis ejus & orcinis recessibus quæ ere. Cum proinde ex ejusdem secum farine socijs intellexisset, in ijs, quas ipse incolebat adibus magnas longo jam à tempore opes, & auri vim ingentem de fossam latere; doceri voluit verba quædam & formulas magicas, quibus malum Dæmonem Orco evocaret, & ad thesaurum illum sibi tradendum adigeret. Verè miser, ut qui nesciret, Dæmonem carminibus illis excitum alium thesaurum non habere, quàm quem dare ipse paratus erat, dum Animam stygio illi prædoni offerebat! Adhibitis igitur, quæ didi-

Joan.
Nicom.
Ex 14.

didicerat, carminibus, evocare Dæmonem cœpit, sed quia nondum scelerum suorum menturam Juvenis impleverat, non permisit Deus, ut confestim aspectabilem se illi hostis sisteret. Cùm tamen insanus à cœptis execrandis non desisteret, Orcus tandem pulsatas torres fores aperuit. Conubiã enim nocte, dum his maximè cogitationibus animum suum Juvenis in strato suo occupat, strepitum quendam ac fragorẽ ad cubiculi sui fores audit: & , quis inquit, tam intempestivè mihi obstitit? Ille est, respondit quærenti Dæmon, quem vocãsti torres: pande fores, & sequere me, adsum enim tandem vota tua expleturus. Cohorruit initio Juvenis; subinde tamen Spe timorem subigens è strato se proripit, & ensẽ manu una complexus, alterã Deiparã iconem è collo suspendens, ut eam, quod non pauci alij etiam sibi promittunt, non peccatorum solùm haberet Advocatam, sed in scelere ipso sociam & Patronam, ad cubiculi fores progreditur, aperit, & umbram videt aspectu horrifico, quæ ad subterraneam ædium cellam tendebat: insirrit præeuntis vestigijs Juvenis, & ad locum pervenit: hic non magno inquerendo labore cumulus auri, argenti, margaritarum, pyroporum, adamantum, & gemmarum omnis generis inventus est. Quid autem existimatis tam secundo eventu fecisse Juvenem? exiliisse præ gaudio, & tripudiãsse? omnes mox sinus optatã prædã cœpisse implere? Nihil minus. Tam funestus enim horror per omnes venas sit, stupor invasit tam insolitus, ut ne voluntas quidem incesse-

ret porrectã dexterã vel teruntium tollendi: sic ut tenui illo anhelitu, qui supererat, collecto vix ad lectum rediret; in quo non nisi triduo superstes, cùm à consternatione colligere animum non posset, funus fuit: sic ipsã suã experientã magistrã doctus, non alias sub terra fodinas spiritu tam pestilente inficere, quàm Tartareas.

XXI. At vos reponetis: etsi supersticiosi ejusmodi ritus ac carmina nihil conferant ad latentes ejusmodi thesauros retegēdos, non inutiles tamẽ esse ad thesaurum thesauris omnibus cariorẽ, corporis nimirum sanitatem servandam, & mille ab eo mala non ignota avertuncanda. Heu Sanitatem omnĩ peste nocentiorẽ! Ego quidem milles cum Deo præmori malle, quàm cum Dæmone supervivere. Ita est; finit subinde Deus, ut juvare aliquem Dæmon possit ad bonum aliquid caducum obtinendum, qui ejus opem implorat; sed hoc ipsum profectò ingens supplicij genus est, permittere ut serpentem varia ac maculosa pelle sinu quis foveas, qui subinde securè & suaviter dormientes morsu enecet: & verò ipse malus Dæmon, ut animam alicujus sibi vindicet, sicut nullũ aliud ministeriorum etiam abjectissimorum genus refugit, fabri, famuli, agalonis, quin & jumenti, sic nec Medici officio, tam honorato, fungi recusabit. Sed an tam malè providi estis, ut non advertatis, inimici munera, prodicionis esse instrumenta? Ita versutus ille capi se finit, sicut Torpedo, ut capiat capientem se; & tantillũ illud boni confert, ut æternũ

nūm deinde vobis faciat malè. *Porrigit pomum, & surripit Paradisum*; quæ sunt ejus jam inde à Mundi exordio artes. Plaudit ipse sibi, quòd non nemo, ut sanitatem non jam ipse, non filius, sed equus recuperet, illi se tradat mancipium, qui tamen ritu tam solenni in sacro lavacro ipsum ejurarat, quique fidei beneficio accepit à Deo potestatem stygij hunc Draconem cum omni sua detestabili appendice conculcandi. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & supra omnem virtutem Inimici.* Accedit & illud, quòd ita sanitatem reddat Dæmon, ut illud Medicorum genus solet, quos Empyricos dicunt, qui phar-macis suis excutis à membris una in viscera, tanquam centrum, mali vim cogunt; unde subinde nocentiùs pestem in membra omnia diffundat. Nunc equi, aut alterius jumenti vestri non difficilem morbum sanat; paulò post illud ipsum in fossam aliquam præcepit ager. Filium modò incolumen præstat; mox ad dignam pro ope ab eo postulata mercedem reddendam, faciet ut ardentem in focum pronus ruat. Si peccatum omnis mali in Mundum hunc illati causa fuit, Dæmon verò ejus occasio, quæ tandem prudentia est, cupere deinde, ut junctum Dæmoni peccatum boni quidpiam in ædes vestras inferat? Fieri ista non possunt. Audire igitur Ecclesiasticum monentem: *Fili, in infirmitate tua ne despicias te ipsum, sed ora Dominum, & ipse curabit te.* Memento, fili, te & cum condereris è nihilo, multòque magis, cum in sacro fonte re-

Luc. 10.
10.

Eccli. 38.
2.

nascereris. Deum ipsum Patrem fortitum esse. Quomodo igitur eò usque te abjicis, ut dignitatis hujus tuz oblitus, tuis ab hostibus opem exoptas, tergam Deo Patri tuo obvertas? non quod collo gestas schediasma, non quæ pronuntias verba, sanitatem tibi reddunt; reddit illam Dæmon: Medicus tuus Dæmon est. Et eò tu te demittes, ut commercij cum illo te non pudeat, cujus hæc nunc præcipua dignatio, quòd sit æternus Reproborum Terror ac Carnifex? Hoc est non te tantum, sed Patrem adeò tuum Cælestem, tanquam invalidum, & nullarum jam virium, contemnere. *Ora Domini, & ipse curabit te.* Quare si, *maledictus homo, qui confidit in domine, & à Domino recedit cor ejus;* judicet, qui vult, an non magis eidem se maledictioni obnoxium reddat, qui DEO deserto, omni sua Spe Orco innititur?

XXII. Nunc ut tandem, quod res postulat, ad hujus Dissertationis finem accedamus, quid vobis de gemina hac labe videtur, quæ animam Spes Peccatorum inficit, dum facit, ut tam temerè præsidant de DEI ope in ijs, quæ ad Animam spectant; tam nihil illi fidant in his, quæ ad corpus pertinent, perinde, ac si plus commodi reportaturi sint, si in ipso peccato, quam si in Deo spem suam collocent? An aliud evidentius signum desideratis, quo illam planè adulterinam agnoscat? *Spes illorum abominatio est Anima.* Deinceps incumbet vobis, Dilectissimi, eò enim, ut Spes vestræ meliorem ad normam accommodentur: hanc Prophetæ indicat illis verbis: *Spera in Pf. 36. 31.*
Do-

*Domino, & fac bonitatem, & inhabita
terram, & pascere in divitijs ejus.* Quot
verba, tot arcana. *Spera in Domino.*
Cum Spes vestras collocatis in DEO,
illud in primis alie in animum demic-
tite, nisi vos Domino tam potente, ut
vobis ille penitus opus non habeat: ac
proinde nolite, cum infantis illis, vobis
persuadere, Montes cælorum fulcra esse.
Quantumcunque magna vestri opinio-
ne inflati sitis, quamdiu peccato vi-
vitis obnoxij, non estis nisi parum pu-
tum nihil: ac proinde, si carere vo-
bis DEUS potest, etsi Atlantem, aut
Abylam altitudine excederetis, quanto
minus illi eritis necessarii, cum ejus in
oculis non sitis plus, quam arenæ te-
nuissimum granulum? Quare sperare
simul & timere vos velim; sperare in
Deo, vosmetipsos timere, & de vobis
dissidere: timere inquam pravam ve-
stram voluntatem, ob periculum il-
lud, cui obnoxia est, quantalibet tandè
Dei gratiâ non rectè us utendi, quam
Napellus, aliæque herbæ ac plantæ
venenatæ urantur rore cælesti. Timete
diuturnas assuetudines, & contractas
inde propensiones pessimas; timere la-
psus toties & tam facilè iteratos, me-
mores, primo peccato unum Dæmo-
nem hospitem admitti, altero autem
septenos. Verbo, timete, etiam cum
nulla videtur esse timendi causa, An
non videmus, quam timuerint san-
ctissimi quique? *Homo sapiens in omni-
bus metuet:* ut Ecclesiasticus loquitur.
Sancti cælesti illâ Sapientiâ quâ pleni
sunt, magistrâ, discunt ubique ti-
mere, ut sint quàm cautissimi, Quare
si Leones ipsi in nemoribus, apertis

oculis dormiunt, quomodo miserè
Lepusculi, Peccatores, clausis oculis
securi & in utramque autem dormi-
ent?

XXIII. *Spera in Domino & fac bo-
nitatem.* In magno illo Deo Spem re-
ponite, qui scit, qui vult, & potest
omnia, quæ vobis sunt profutura: sed
jungite huic Spei rectè f. & c. a, ne sicut
Dæmon omnes Hæreticos falsa fide
decipit, ita vobis imponat falsâ fidu-
ciâ. *Fac bonitatem.* Et observare non
satis esse ad spem bonam ac genuinam
bona facere, sed necesse esse ejusmodi
efficere opera, quæ ipsos efficientes
bonos faciant. Vos acceditis ad rem
divinam, ad estis ad aram, etiam so-
lenni ritu, facienti; vespertinis pre-
cibus cum cantu peragi solitis adsta-
tis, stipe juvenatis egenos, à carnibus
vos abstinete, sed interim estis DEI
ob admissum peccatum inimici. Hoc
est facere bona, sed non est facere,
quæ vos faciant bonos. Opus est ante
omnia redire cum Deo in gratiam elu-
tis sincera confessione noxis, quæ o-
peribus his omnibus præmittatur, ut
non sint iustar cadaveris, externa qui-
dem specie operibus bonis similia, sed
animâ propriæ bonitatis non animatâ.

XXIV. *Spera in Domino & fac bo-
nitatem, & inhabita terram.* Terra hæc
Dei Ecclesia est, in qua habitare oportet
ut verum Christi asseclam, semper
perseverando in Dei gratia & amicitia,
non autem per aliquot tantum proxi-
mos Paschæ dies. Id enim nî fiat, non
satis scio, an non divino coram Tri-
bunali locum habiturum sit id, quod
Lex humana decrevit. *Qui possedit ma-*

jore

jore parte anni, praefertur alteri. Metuo, ne, si Dæmon undecim anni mensibus vobis imperat, Deus aurem non nisi unico, Dæmon tandem lucretur causam, & vestra illi animæ latâ sententiâ adjudicentur.

XXV. *Inhabitatorum. & pascoris in divitiis ejus.* Discite aliquantum fidem servare Deo, & tum non ambigite, quin vestrae sint omnes celestis hereditatis opes atque divitiæ. Si ipsi placuerit, vos hîc inter mortales

luctari cum rerum Inopia, non est quod lugeatis: erit tempus, cum fruemini omnibus, quæ ejus sunt, & ille, tanquam filius morigeris, olim dicit: *Zuc. 11. Omnia mea tua sunt.* Omnes mei thesauri, omnes opes tuæ sunt, & tuæ erunt per omne deinceps ævum; sine ullo illis excidendi metu. O quæ quantâque est felicitas. res tantas sperare: *Spera in Domino, & fac bonitatem, & inhabitatorum, & pascoris in divitiis ejus.*



DISCURSUS V.

De numero Electorum & Reproborum.

Somniant nonnunquam agri, se linguâ meli lambere; & hoc non infelix omen existimant; sed aliter peritiores Medici pronuntiant, qui cum non ignorent, gustaram illam in somno dulcedinem inde nasci, quod corpus phlegmate redundans illud è stomacho & ventre ad palatum usque diffundat, timent, ne naturalis calor frigidi illius humoris abundantiam penitus tandem suffocetur & extingatur. Non dispati ratione Peccatores profundissimo suo lethargo sopiti mel semper dulcissimû somniant, sic ut eorum lingua nihil celebret & extollat frequentius, quam Dei Miserationes, Spem facilem, salutis negotium in tuto: nec mali id ominis esse existimant. At rerum & status animæ magis gnari, cum non nesciant præsentiam ejusmodi, ti-

moris omnis expertem nasci in agris istis ex animo sceleribus ad labia usque, ut sic dicam, pleno, malè sic somniantibus metuunt, & lethargum quibus possunt artibus excutere laborant, excitando maximè timorem salutarem, qui ipsas ad eò ossium medullas penetrat: *Sunt impij, qui ita Eccl. 6. securi sunt, quasi fustorum facta habent; sed hoc vanissimum iudicio.* Amplector & ego hanc Medicorum Sacerorum sententiam, & curandi methodum: eâque causâ conabor, quoad poterò, tam suaviter dormientes ad sanitatem reducere. Proponam quæstionem, momentitam gravis, ut nullam unquam momenti majoris in ullius Reipublicæ senatu intimo fuerit ventilata; ad lumen Authoritatis & Rationis discutiendo: Majorne sit eorum Christianorum numerus, qui salutem consequuntur, an qui eâ ex-